

1439 miles, dum certioribus nunciis affertur, omnia loca tutæ esse: Jacobum Maranicum cum mille viris exitum vallis observare, ne ab hoste insideretur: juberet modo militem properare, nihil esse cur insidias ulla vereretur. Ea re lætatus Sforcia, signa procedere jubet, & militem pleno gradu sequi. Ubi vero in apertum ventum est, ad Volar, neam tam diu constitere signa, quoad in suos ordines miles redigeretur, ut inde quadrato ad urbem iretur agmine. Apud quosdam nihil de ea trepidatione, deque Sforciæ concione reperio. Ad Ambrosii vicum octo passuum millia a Verona sub noctem Veneti duces confedere: ibi certiores facti de iis quæ toto triduo in urbe acta erant, quibus conatibus arces hostis adortus esset; quo modo Mantuanus Princeps, admotis ad eam quæ Vetus dicitur, bellicis machinis, admonitus a præfecto arcis, nisi ab eo genere expugnationis absisteret, fore, ut Carolum filium ea murorum parte, quam primo quat vidisset, tormentis lacerandum objiceret; quibus minis territus abstinuisset. Quarto itaque die per montes ad Felicianam arcem duxere. Sunt qui tradant, hostes ipsos ex munitiōnibus, quas venientibus Venetis objecerant, aliquandiu restitisse: inde iniquitate locorum & Sforcianorum virtute viatos, facile cessisse. Tum immisso per ocium in arcem peditatu, misisse Sforciam Alexandrum fratrem, Mellitam, & alios fortis viros cum toto equitatu ad eam portam quæ Episcopi dicitur: hortatumque ad id Veronensem quosdam, qui forte aderant, ut irent, & repente portam ipsam, si bona venia non liceret, vi suis refringent. Quam ubi hostes occupatam, receptosque in urbem Sforcianos audivere, subita fuga ultra flumen se recipere cœperunt: tantaque circa pontem, qui Novus dicitur, fuit equitum trepidatio, ut sublicius pons, qui lapideum a turri separat, diffraetus, cum quinque equitibus, vel, ut alii tradunt, novem in subjectum flumen ingentem traxerit ruinam. Ferunt, omnes armorum pondere cum ipsis equis alto gurgite continuo absorptos, unum, non sine spectantium stupore, equo adjutum ad ripam incolumem

anna-